



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

44. Fer. 3. De Pusillanimitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

& superbiam vitæ, tum adversus spiritualia nequitie in cœlestibus.

*Conf.* Secundò generalia tentationum remedia esse, contra singula vitia præparatum expectare: illa considerare, quæ ad vincendū accendunt; præcipuū est consideratio Christi, ejus doctrinæ, exempli, auxiliij, Deiq; præsentia, ne eum offendamus, Vigilantiâ, oratio, spiritus promptitudo, fortitudo corporis, quâ dat cibus fortium SS. Eucharistia.

*Conf.* 3. Remedia generalia ad affectum spectantia esse honestatis desiderium, spem promissionis, timorem amittendę charitatis, incurrendæ ænæ, amorem illius, quem super omnia diligimus, eâ denique arte utendo, quâ se Christus Dn. Sathanæ opposuit.

MEDITATIO XLIV.

Feria 3. Dom. 5. Epiph.

*De Pusillanimitate.*

**V**idebo proficientes, quomodo in primū scopulum impingant pusillanimitatis. Petam intelligere hunc scopulum.

*Conf.* 1. Quomodo proficientes ne crescant, & gratiæ sibi datę cooperentur, soleant à Diabolo pusillanimitate oppugnari. Est pusillanimitas vitiosa mentis affectio, quâ quis convenientia, ac proportionata sibi data potentiæ vel virtuti recusat attentare: ali-

D quando



74 Feria 3. Dom. 5. Epiph.

quando solt imaginationi & vanæ apprehen-  
sioni innitens, interdum alicui molestiæ cor-  
porali.

*Conf. 2.* Quomodo soleat esse hæc tenta-  
tio pœna superbæ complacentiæ, ac inani  
de seipso confidentiæ, juxta illud Ps. 13. & 51.  
*Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt,  
ubi non erat timor.*

*Conf. 3.* Remedium hujus tentationis est  
s. 1. superbæ, & sui confidentiæ culpas flere  
& in solo Dei auxilio confidere. Deinde an-  
mare se bonis considerationibus beneficio-  
rum Dei, vel sibi, vel alijs collatorum. Tan-  
dem seipsum cogere, & nihil eorum, quæ suo  
statui conveniunt, ob timorem prætermitte-  
re: & si semel aut iterum non succedit, ter-  
tiò & alijs vicibus, dante gratiam Deo, suc-  
cedet. Potens est Deus.

#### MEDITATIO XLV.

Feria 4. Dom. 5. Epiph.

*De nimio Zelo.*

**A**spiciam alterum scopulum proficien-  
tium, zelum nimium. Petam illum intelo-  
ligere, & evitare.

*Conf. 1.* Multiplicem esse zelum nimium,  
quo alij externæ disciplinæ & cærimonijs ni-  
mum addicti omnia illis postponunt: alij  
corporis asperitates summi faciunt, mitio-  
rémque